



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. Quæ vitæ, morúmque probitas requiratur in promovendis ad beneficia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. IV.

Quae vita, morumque probitas requiratur in promovendis ad beneficia?

**A**D morum, vitaeque probitatem quod attinet, promovendus ad beneficia primò criminofus esse non debet, (reus scilicet criminis, quod depositione dignum est, vel infamiâ notatur, aut censuram aut irregularitatem inducit, sive deinde ad iudicem per inquisitionem, sive per accusationem, aut denuntiationem crimen tale delatum sit) neque reus esse criminis cujuscunque gravis, publicè noti, ob quod delinquens aliorum offensionem incurrit, si tale delictum nondum publicè emendatum sit, *canon. unum 3. §. 1. junct. gloss. V. unde dist. 25.* Secundò non debet esse infamis, juris aut facti infamiâ, cum infamis portæ dignitatum (beneficiorum) non pareant *c. inter dilectos 11. de excess. Pralat. &* quamvis simplicis benefici collatio criminofus tali aut infami facta, non semper sit ipso jure irrita, nisi crimen illud annexam habeat censuram, aut irregularitatem, est tamen irritanda ab eo, qui potestatem habet; & si beneficium, quod taliter criminofus, aut infami collatum est, sit curatum, ipso jure irrita est collatio, uti colligitur ex *c. cum in cunctis, de elect. §. inferiora.* Tertiò nullâ censurâ aut irregularitate notatus vel impeditus esse debet *c. postulastis 7. de Cleri. excom.* ita ut collatio tali facta sit ipso jure nulla, quamvis denunciatus, aut vitandus non sit, cum his per *extravag. Concil. Constant.* nullus factus sit favor.

## §. V.

De ordine requisito in promovendis ad beneficia Ecclesiastica.

**Q**UOD beneficia Ecclesiastica aliqua certos nonnunquam sacros ordines requirant, ex dictis jam patet, ita tamen ut eorum aliqua requirant ex statuto diocesano, v. g. ex fundatione &c. certum ordinem, qui actu habeatur, quando confertur tale beneficium; alia verò secundum aptitudinem tantum, ut scilicet ille, qui ad tale beneficium promoveretur, hoc suæ promotionis tempore habilis sit, & talis, ut intra annum possit sacrum illum ordinem, qui requiritur, suscipere, nisi justum aliquod impedimentum interveniret *c. cum in cunctis de elect. §. inferiora. Clement. 2. h. t.* Sic primò requiritur ad eligendum in Episcopum, ut sit actu Subdiaconus, cum eligitur. *c. à multis 9. h. t.* Et juxta *Trident. sess. 22. de refor. c. 2.* requiritur, ut in Episcopum eligi quis possit, fuisse enim 6. mensium spatio in sacro ordine constitutum, ita ut postulari prius quidem possit, non tamen eligi. Secundò in promovendis ad Ecclesiasticas dignitates, in Abbates scilicet, Præpositos, Decanos, & Archipresbyteros (si tamen à Decanatu distinguitur) quibus cura animarum, aut jurisdictio fori externi annexa est, requiritur, ut sint vel actu Presbyteri, vel saltem intra annum ordinari Presbyteri possint. *C. 1. h. t.* nisi legitimum impedimentum obstat, quod perpetuum non est, aut alia necessitas, vel utilitas Ecclesiæ aliud dispensativè fieri velit, uti colligitur ex *c. tuam 10. h. t.* Tertiò in promovendis ad Ecclesias Parochiales requiritur,

Q 2

ritur,